

Sed factos etiam movent, nam alio inquit.

Καὶ τοῦ νοῦ, ὃς τὸν ἐμπύριον κόσμον ἄγει.

“Et intellectus, qui Empyreum mundum dicit.”

Sed et movendo, etiam sustentant.

Ω πῶς, κόσμος ἔχει νοεροῦ ἀνοχῆας ἀκαμπεῖς.

“Ο, ut mundus habet intellectuales sustentatores, inflexiles.”

Et sustinendo custodiunt.

Ἄλλὰ καὶ φρουροὶ τῶν ἔργων εἰσὶ τοῦ πατρὸς.

“Sed et custodes operum sunt patris.”

Cathena ergo hac pulcherrima, et plus quam aurea, Patris, Mentis, Mentium, Animæ, Naturæ, corpora quæ per se, nec constitui, nec sustineri, nec contineri, nec conservari, nec custodiri possunt uti ἑτερόστατα, et alistantia, ab alio, et ab initio effecta sunt, et sustinentur, et conservantur, necesse est ab intellectibus, et animalibus et naturis, et efficiantur, et custodiantur, et conserventur, eo modo quo antecedente libro est expositum, et quo ipsem Aristoteles cœlos a mentibus moveri, et in motu conservari, et hæc inferiora omnia regi tradidit, et ab iis quæ supra cœlos sunt esse, et vivere omnibus venire docuit. Sed ut nullam de his rationem reddidit sic nullam a Chaldæis, Peripatus exquirere debuit, quando sine ratione, et causæ redditione, non minus ipse quam illi laborarit. Et tamen philosophus esse voluit. Patiantur ergo, et illos ratione pari esse philosophos. Nos utrisque suppetias modo ivimus, obstendendo, Mentem opificem, influxibus superioribus Verbi, et Boni gravidam factam, sterilem esse non potuisse, et parere habuisse necesse, et parta continere, et custodire, et servare, tum prima quæ a se prodierunt, tum quæ a se longius profluxerunt. Profluxerunt autem a se, entia prima. A primis secunda. A secundis tertia, a tertii quarta. A quartis quinta. A quintis sexta. A sextis septima. A septimis octava. Ab octavis nona. A nonis decima: iis qui supra sunt expositi modis. Quibus verissimum evadit illud Orphei carmen:

Μήτου κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης.

“Consilii a valida necessitate.”

Omnia, et facta esse, et contineri, et conservati, et alio item carmine:

Δεινὴ γὰρ Ἀνάγκη πάντα κρατεῖ.

“Dura namque necessitas, omnia tenet.”

Id autem factum est, quoniam.

Πάντα ἔξετέλεσσε πατήρ, καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ.

“Cuncta perficit pater, et menti tradidit secundæ.”

Quæ, proximus est rerum opifex. De prompsit namque omnia pater de se, et per primam mentem sibi consubstantialem, ea transmittens secundæ menti, quæ et ipsa, ut docuit Hermes erat Verbo, et Patri consubstantialis, tradidit. Cur autem, et omnia, quæ in se habuerat summe perfecta per primam mentem tradidit secundæ? An ut et ipsa omnia haberet, et per omnia perfecta esset? Ita profecto. Neque enim ipsa, utrique consubstantialis carere ullo potuit ente, ne carens, imperfecta relinquetur. Perfectissima ergo cum, et ipsa esset, ociosa ne, et infoecunda esse, aut potuit, aut debuit? Tradiderat ne ei pater omnia, ut ea tantum haberet, et ut eis in se tantum frueretur, Deitatis modo sibi sufficientissimo? Et postea sederet iners, et sterileceret? An vero ut Deitatis modo, et ipsa esset foecundissima.

Ratio sane dictat, ut foecundissima, et ipsa esset. Nam si ὁμοουσίος consubstantialis est, cum Patre, et Filio, cum eis erit etiam ὁμοδύναμος, καὶ ισοδύναμος compotens, et æquipotens; eiusdemque cum iis potentiae, et virium. Illi vero ut ostensum est, sunt omnipotens. Hæc ergo erit etiam omnipotens. Quod et ex Nazianzeno etiam patuit. At si compotens illis, et omnipotens, fuerit etiam cum illis ὁμοεργὸς, καὶ ισοεργὸς, cooperator, et æquiooperator, et coefficiens, et efficiens, sicut et illi omnia. Quod Platonis auditor clarissime est contestatus. Tria enim hæc, ut saepè dictum est, essentia, potentia, actio, tam arcte rebus in omnibus, et in principiis omnium maxime sunt unita, ut a se invicem divelli minime omnium queant. Nam